EPHEMERIDES LITURGICAE

COMMENTARIUM TRIMESTRE DE RE LITURGICA
CURA ET STUDIO PRESBYTERORUM CONGREGATIONIS MISSIONIS

ADMINISTRATIO
CENTRO LITURGICO VINCENZIANO
VIA POMPEO MAGNO, 21 - I 00192 ROMA
FAX 063221078 - C/C P. 56307002 EDIZIONI LITURGICHE
clv@cmroma.it – http://www.chiesacattolica.it/clv

Direttore responsabile: EUGENIO GIOIA, C.M.
Autorizzazione del Tribunale di Roma, Decr. n. 18217 del 1° agosto 1980
Tipografia Giammarioli - Via E. Fermi, 10 - Frascati

SUMMARIUM

BARBA, M., Cum beato Ioseph, eius Sponso 129-152

BARBA, M., Due litanie cristologiche di recente approvazione 153-168

BEITIA, Ph., Le Culte liturgique des papes béatifiés, canonisés ou dont le culte a été confirmé de 1881 à 1903 169-188

WARD, A., The Orations for the Fifth Week of Easter in the 2000 « Missale Romanum » 189-225

YOUSSEF, Y.N., A Graeco-Coptic Ode 226-237

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Decretum « Unigenitum », quo textus Litaniarum « de Domino Nostro Iesu Christo Sacerdote et Victima » et « de Sanctissimo Sacramento » approbatur 238-247
Textus 245-247

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Decretum, « Paternas vices », de nomine Sancti Ioseph, Beatae Mariae Virginis Sponsi, precibus eucharisticis II, III et IV posthac addendo 248-256
Textus 250-256

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. 1050/11/L

DECRETUM

quo textus Litaniarum « de Domino Nostro Iesu Christo Sacerdote et Victima » et « de Sanctissimo Sacramento » tamquam typicus approbatur, a christifidelibus sive private sive publice, etiam coram Sanctissimo Sacramento exposito, adhibendus.

Unigenitum Filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, Pater omnipotens summum aeternumque Sacerdotem constituere voluit, ut eius in sacrificio Crucis effuso sanguine ac in novissima Cena cum discipulis visibili memoriali tradito eius Mortis et Resurrectionis, utpote dilectae Sponsae universorum Redemptoris, populum novum acquisiret. Ad haec celebranda mysteria in Missali Romano nonnulla formularia inter Missas votivas exstant.

Placuit Summo Pontifici BENEDICTO PP. XVI sacerdotali ministerio congruum spatium temporis inter annos 2009 et 2010 dicare, quo Eucharistia magis magisque in diem tamquam fons sanctificationis et culmen vitae sacerdotum agnoscatur atque ipsis sicut et cunctis christifidelibus ferventioris orationis ac profundioris renovationis spiritualis esset fons.

Inter potiores christianae pietatis expressiones, magni sunt aestimandae peculiares illae deprecationes, decursu saeculorum late cognitae, quibus christifideles Eucharistiam et personam Christi litanicae supplicationis instar iteratis invocationibus ferventes implorent, ex ipsius sacrae Scripturae funditus afflatu instinctuque effusae.

Nunc autem, ut Dominum nostrum Iesum Christum, Panem vivum de caelo descensum atque Summum Aeternumque Sacerdotem, Ecclesia debito cultu prosequatur, visum est huic Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Episcopis, sacerdotibus aliisque christifidelibus instantibus, apta harum supplicationum formularia ad hoc disponere ac textum typicum suipsius cura paratum publici iuris facere.

Exinde, vigore facultatum huic Congregationi a Summo Pontifice FRANCISCO tributarum, textum latina lingua exaratum peculiarum

Litaniarum « de Domino Nostro Iesu Christo Sacerdote et Victima » et « de Sanctissimo Sacramento », prout in adiecto exstat exemplari, perlibenter probamus seu confirmamus typicumque declaramus, ut a christifidelibus sive private sive publice, etiam coram Sanctissimo Sacramento exposito, servatis aliunde servandis, adhiberi possit.

Translationes in linguas populares ad normam iuris a Conferentia Episcoporum conficiantur, Apostolicae Sedi per hoc Dicasterium recognoscendae.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 30 mensis maii 2013, in sollemnitate Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi.

Antonius Card. CAÑIZARES LLOVERA
Praefectus

✠ Arturus ROCHE
Archiepiscopus a Secretis

LITANIAE « DE DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO SACERDOTE ET VICTIMA »

I

vel A

Kýrie, eléison. Kýrie, eléison
Christe, eléison. Christe, eléison
Kýrie, eléison. Kýrie, eléison

Christe, audi nos. Christe, audi nos
Christe, exáudi nos. Christe, exáudi nos

vel B

Pater de caelis, Deus, miserére nobis
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis

II

Iesu, Sacérdos et Víctima, miserére nobis
Iesu, Sacérdos in aetérnum
secúndum órdinem Melchísedech, miserére nobis
Iesu, Sacérdos quem misit Deus
evangelizáre paupéribus, miserére nobis
Iesu, Sacérdos qui in novíssima cena
formam sacrifícii perénnis instituísti, miserére nobis

Iesu, Sacérdos semper vivens
ad interpellándum pro nobis, miserére nobis
Iesu, Póntifex quem Pater unxit
Spíritu Sancto et virtúte, miserére nobis
Iesu, Póntifex ex homínibus assúmpte, miserére nobis
Iesu, Póntifex pro homínibus constitúte, miserére nobis

Iesu, Póntifex confessiónis nostrae, miserére nobis
Iesu, Póntifex amplióris
prae Móysi glóriae, miserére nobis
Iesu, Póntifex tabernáculi veri, miserére nobis
Iesu, Póntifex futurórum bonórum, miserére nobis

Iesu, Póntifex sancte,
ínnocens et impollúte, miserére nobis
Iesu, Póntifex fidélis et misércors, miserére nobis
Iesu, Póntifex Dei et animárum
zelo succénse, miserére nobis
Iesu, Póntifex in aetérnum perfécte, miserére nobis

Iesu, Póntifex qui per próprium
sánguinem caelos penetrásti, miserére nobis
Iesu, Póntifex qui nobis
viam novam initiásti, miserére nobis
Iesu, Póntifex qui dilexísti nos
et lavísti nos a peccátis in sánguine tuo, miserére nobis
Iesu, Póntifex qui tradidísti temetípsum
Deo oblatiónem et hóstiam, miserére nobis

Iesu, Hóstia Dei et hóminum, miserére nobis
Iesu, Hóstia sancta et immaculáta, miserére nobis
Iesu, Hóstia placábilis, miserére nobis
Iesu, Hóstia pacífica, miserére nobis

Iesu, Hóstia propitiatiónis et láudis, miserére nobis
Iesu, Hóstia reconciliatiónis et pacis, miserére nobis
Iesu, Hóstia in qua habémus fidúciam
et accéssum ad Deum, miserére nobis
Iesu, Hóstia vívens in saécula
saeculórum, miserére nobis

Propítius esto, líbera nos, Dómine

III

A temerário in clerum ingréssu, líbera nos, Dómine
A peccáto sacrilégii, líbera nos, Dómine
A spíritu incontinéntiae, líbera nos, Dómine
A turpi quaéstu, líbera nos, Dómine
Ab omni simoníae labe, líbera nos, Dómine

Ab indígna opum ecclesiasticárum
dispensatióne, líbera nos, Dómine
Ab amóre mundi eiúsque vanitátum, líbera nos, Dómine
Ab indígna Mysteriórum tuórum
celebratióne, líbera nos, Dómine

IV

Per aetérnum sacerdótium tuum, líbera nos, Dómine
Per sanctam unctiónem, qua a Deo Patre
in sacerdótem constitútus es, líbera nos, Dómine
Per sacerdotálem spíritum tuum, líbera nos, Dómine
Per ministérium illud, quo Patrem tuum
super terram clarificásti, líbera nos, Dómine
Per cruéntam tui ipsíus immolatiónem
semel in cruce factam, líbera nos, Dómine
Per illud idem sacrifícium
in altári quotídie renovátum, líbera nos, Dómine
Per divínam illam potestátem, quam in
sacerdótibus tuis invisibíliter exérces, líbera nos, Dómine

V

Ut univérsum órdinem sacerdotálem
in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut pastóres secúndum cor tuum pópulo tuo
providére dignéris, te rogámus, audi nos
Ut illos spíritus sacerdótii tui implére
dignéris, te rogámus, audi nos
Ut lábia sacerdótum sciéntiam custódiant, te rogámus, audi nos
Ut in messem tuam operários fidéles míttere
dignéris, te rogámus, audi nos
Ut fidéles mysteriórum tuórum dispensatóres
multiplicáre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut eis perseverántem in tua voluntáte
famulátum tribúere dignéris, te rogámus, audi nos
Ut eis in ministério mansuetúdinem,
in actióne sollértiam et in oratióne
constántiam concédere dignéris, te rogámus, audi nos
Ut per eos sanctíssimi Sacraménti
cultum ubíque promovére dignéris, te rogámus, audi nos
Ut qui tibi bene ministravérunt,
in gáudium tuum suscípere dignéris, te rogámus, audi nos

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Dómine

Iesu, Sacérdos, audi nos
Iesu, Sacérdos, exáudi nos

Orémus

Ecclésiae tuae, Deus, sanctificátor et custos, súscita in ea per Spíritum tuum idóneos et fidéles sanctórum mysteriórum dispensatóres, ut, eórum ministério et exémplo, christiána plebs in viam salútis te protegénte dirigátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

vel:

Deus, qui ad glóriam tuam et géneris humáni salútem Christum voluísti summum aeternúmque constitúere sacerdótem, praesta, ut pópulus, quem sánguine suo tibi acquisívit, ex eius memoriális participatióne, virtútem crucis ipsíus cápiat et resurrectiónis. Qui vivis et regnas in saécula saeculórum. Amen.

LITANIAE
« DE SANCTISSIMO SACRAMENTO »

I

vel A

Kýrie, eléison. Kýrie, eléison
Christe, eléison. Christe, eléison
Kýrie, eléison. Kýrie, eléison

vel B

Pater de caelis Deus, miserére nobis
Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis
Spíritus Sancte Deus, miserére nobis
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis

II

Panis vive, qui de caelo descendísti, miserére nobis
Deus abscónditus et Salvátor, miserére nobis
Fruméntum electórum, miserére nobis
Hóstia sancta, miserére nobis
Hóstia vivens, miserére nobis
Hóstia Deo placens, miserére nobis

Angelórum esca, miserére nobis
Manna abscónditum, miserére nobis
Oblátio munda, miserére nobis
Iuge sacrifícium, miserére nobis
Agne absque mácula, miserére nobis
Mensa puríssima, miserére nobis

Cibus et convívia, miserére nobis
Calix benedictiónis, miserére nobis
Offerens et oblátio, miserére nobis
Mystérium fídei, miserére nobis
Sacraméntum pietátis, miserére nobis
Vínculum caritátis, miserére nobis

Memória mirabílium Dei, miserére nobis
Panis supersubstantiális, miserére nobis
Incruéntum sacrifícium, miserére nobis
Sacrosánctum et augustíssimum mystérium, miserére nobis
Divínum immortalitátis phármacum, miserére nobis
Gratiárum potíssimum adiuméntum, miserére nobis

Praecélsum et venerábile Sacraméntum, miserére nobis
Sacrifícium ómnium sanctíssimum, miserére nobis
Verbum caro factum, hábitans in nobis, miserére nobis
Caeléste antídotum, quo a peccátis praeservámur, miserére nobis
Sacratíssima Domínicae Passiónis commemorátio, miserére nobis
Stupéndum supra ómnia miráculum, miserére nobis

Donum transcéndens omnem plenitúdinem, miserére nobis
Memoriále praecípuum divíni amóris, miserére nobis
Divitiárum Dei infinítum thesáurum, miserére nobis
Treméndum ac vivíficum Sacraméntum, miserére nobis
Reféctio animárum sanctárum, miserére nobis
Dulcíssimum convívium, cui minístrant Angeli, miserére nobis

Sacrifícium vere propitiatórium pro vivis et defúnctis, miserére nobis
Viáticum in Dómino moriéntium, miserére nobis
Pignus futúrae glóriae, miserére nobis

Propítius esto, líbera nos, Dómine

III

Ab indígna Córporis et Sánguinis tui susceptióne, líbera nos, Dómine
A concupiscéntia carnis, líbera nos, Dómine
A concupiscéntia oculórum, líbera nos, Dómine
A supérbia vitae, líbera nos, Dómine
Ab omni peccándi occasióne, líbera nos, Dómine

IV

Per desidérium illud, quo hoc Pascha
cum discípulis manducáre desiderásti, líbera nos, Dómine
Per summam humilitátem,
qui discipulórum pedes lavásti, líbera nos, Dómine
Per ardentíssimam caritátem,
qua hoc divínum Sacraméntum instituísti, líbera nos, Dómine

Per Sánguinem tuum pretiósum,
quem nobis in altári reliquísti, líbera nos, Dómine
Per quinque vúlnera huius tui Córporis sacratíssimi,
quod pro nobis suscepísti, líbera nos, Dómine

V

Peccatóres, te rogámus, audi nos
Ut in nobis fidem, reveréntiam et devotiónem erga
hoc admirábile Sacraméntum augére
et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut ad frequéntem usum Eucharístiae
per veram peccatórum confessiónem
nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos
Ut nos ab omni haéresi,
perfídia ac cordis caecitáte liberáre dignéris, te rogámus, audi nos
Ut sanctíssimi huius Sacraménti
pretiósos et caeléstes
fructus nobis impertíri dignéris, te rogámus, audi nos
Ut in hora mortis nostrae hoc caelésti viático
nos confortáre et muníre dignéris, te rogámus, audi nos

Iesu, Fili Dei, te rogámus, audi nos

VI

vel A

Christe, audi nos. Christe, audi nos
Christe, exáudi nos. Christe, exáudi nos

vel B

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Dómine

Orémus

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili passiónis tuae memóriam reliquísti, tríbue, quaésumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuae fructum in nobis iúgiter sentiámus Qui vivis et regnas in sáecula saeculórum.